


# Jahresbericht

über das

# Königliche Gymnasium

zu

## Neustadt in Westpreußen,

durch welchen

zur öffentlichen Prüfung der Schüler am 11. Juli

und

zur Schlußfeierlichkeit am Vormittage des folgenden Tages

ergebenst einladet

der

**Direktor der Anstalt**

Professor Dr. Johannes Seemann.


1. Wissenschaftliche Abhandlung des Herrn Oberlehrers v. **Jakowicki**: Observationes in Thucydidis tertii libri capita 37—48.
2. Schulnachrichten vom **Direktor**.



Neustadt Westpr. 1879.

Schnellpressendruck von H. Brandenburg.

1879. Progr. Nr. 33.




# Observationes

in

## Thucydidis libri tertii cap. XXXVII—XLVIII.

scripsit

**Ludovicus Jakowicki.**



# Emendanda.

| | Scriptum est: | Scriptum oportuit: |
|---|---|---|
| P. 2. v. 15. | adhiberenter | adhiberentur |
| „ „ 12. ab imo | *Λέσβιοι* | *Λέσβιοι* |
| 3. „ 15. | obedire | oboedire |
| 4. sqq. | concio | contio |
| 7. v. 7. ab imo | eorruptos | corruptos |
| 8. „ 1. | intuleriut | intulerint |
| 8. „ 12. ab imo | suscipionem | suspicionem |
| 12. „ 4. | Th. π, | Th. II, |

# Observationes

## in Thucydidis libri tertii cap. XXXVII—XLVIII.

Thucydides, qui cum aliis[1]) tum hoc tertii libri loco haud pauca, quae ad Cleonis ingenium moresque diiudicanda pertineant, tradidit, acsi minus aequum tulerit iudicium, identidem a viris doctis testis minus locuples habetur fidesque eius in dubium vocatur[2]).

Etsi Grotius, vir doctissimus, ne alios superiorum temporum commemorem, etsi Onkenius, qui maximam partem Grotium secutus est, iam ab E. Curtio, Classenio, Wallichsio, aliis viris doctissimis refutati esse videntur, sunt tamen, quibus ne horum quidem virorum argumentis Thucydidem, quae tradiderit, vere tradidisse persuasum sit, cum doleant, quod haec sors Cleoni ceciderit, ut neque quidquam ab antiquitatis scriptoribus memoriae proditum sit, quo causa viri, qui longum temporis spatium Atheniensium reipublicae gubernandae praeesset, defenderetur et Thucydides atque Aristophanes, qui alterius partis amore ducti atque a Cleone laesi essent, iudicia tulerint.[3])

Qua in re etsi a viris doctis alios fontes, fortasse uberiores, desiderari licet, tamen nescio, quo pacto, quibus utimur, in suspicionem vocentur. Bene enim Thucydidis, clarissimi antiquitatis historici, ingenio moribusque perpensis, facile ab eius animo alienum fuisse veritatem deformare aut ira studioque ductum singulos viros insectari concedemus. Aristophanes vero quo iure quamque Cleonis imaginem fabulis depinxerit, alio loco dicemus. Iam vero ad Thucydidem eamque tertii libri partem revertamur, quam pertractandam et explanandam nobis proposuimus, in qua cum Mytilenaeorum res gravissimae aguntur, tum Cleonis consilium, ingenium moresque maxime in adspectum lucemque proferuntur. Quae res quo melius intellegatur et perspiciatur, paulo altius Mytilenaeorum res gestae petendae videntur.

---

[1]) cfr. Thuc. IV, 21—28. V, 16.

[2]) cfr. Kleon, Versuch einer Ehrenrettung; Prof. Dr. C. Ahn. Progr. Laibach 1877.

[3]) cfr. Grote, Griech.Gesch. übers. Meissner. B. III. S. 509.

Lesbii iam ante ortum[1]) bellum Peloponnesiacum ab Atheniensibus deficere conati sunt, impellentibus Mytilenaeis, quorum res, Antissa Ereso Pyrrha, insulae oppidis, coniunctis finibusque iam antea in Asiae ora maritima propagatis, maximae opulentissimaeque erant; sed quarto demum belli anno id efficere constituerunt. Qua re audita cum Athenienses, frustra antea legatis missis, qui a conatu Lesbios averterent, ad Lesbum classem appulissent, Mytilenaei oppressi et Athenas, qui de pacis condicionibus agerent, et Lacedaemonem, qui auxilium peterent, legatos mittunt. Qui Athenas missi erant, mox re infecta redierunt; qui Lacedaemonem traiecerant, a Lacedaemoniis Olympiam adire iussi sunt, ut ceteri quoque socii, iis auditis, consultarent. Legati Olympiae cum in colloquium venissent, oratione desciscendi causas exposuere. In se non cadere opprobrium, quod sociis iniuria deficientibus tribueretur; se[2]) enim cum Athenis societatem iniisse, non ut Graecos in potestatem Atheniensium redigerent, sed, ut a Medorum dominatu liberarent, atque se Athenienses, quoad ex aequo rebus praeessent, secutos esse; cum vero odio Medorum remisso illos sociis iugum servitutis imponere properare animadvertissent, se iam sine timore esse non posse neque ulla alia de causa ad id tempus liberos relictos esse, nisi ut ab Atheniensibus ad imperium quaerendum adhiberenter, acsi haud inviti una cum iis in bellum proficiscerentur adversus eos, qui aliquod peccatum commisissent. Sed ne ea quidem re se tutos putasse et Atheniensium servitutem timentes defecisse. Iam igitur orare se, ut a Peloponnesiis, quorum animus promtus cognosceretur, adiuvarentur et in societatem reciperentur. Tempus agendi esse opportunissimum, Atheniensium enim vires rebus adversis iam esse fractas et partitas futurumque esse, ut Lesbiis in libertatem vindicatis Atheniensium opes minuerentur, Peloponnesiorum augerentur[3]).

---

[1]) Thuc. III. 2. *βουληθέντες μὲν* (sc. *Λέσβιοι ἀποστῆναι*) *καὶ πρὸ τοῦ πολέμου, ἀλλ' οἱ Λακεδαιμόνιοι οὐ προσεδέξαντο κ. τ. λ.*

[2]) Thuc. III. 10. *ξύμμαχοι μέντοι ἐγενόμεθα οὐκ ἐπὶ καταδουλώσει τῶν Ἑλλήνων Ἀθηναίοις, ἀλλ' ἐπ' ἐλευθερώσει ἀπὸ τοῦ Μήδου τοῖς Ἕλλησι κ. τ. λ.*

[3]) Jam in recensendis iis, quae Mytilenaeorum legati attulerunt, dicit Grotius — ut, quae secuta est Cleonis agendi ratio, probata videretur —, orationem illam esse confusam (cfr. Grotii histor. graec. III, 492) atque a Mytilenaeis sui excusandi purgandique causa magis habitam quam, ut Athenienses accusarentur neque ullas ab Atheniensibus Mytilenaeis illatas iniurias proferri. Quid? Nonne legati exposuerunt Athenienses sociis iam non ad repellendos Medos (cfr. Thuc. III, 10), sed ad opprimendas singulas Graecorum civitates usos esse sibique iis subactis idem periculum fore? Nonne protulerunt Mytilenaei, se nolle participes esse belli Peloponnesiaci, omnibus Graecis tam pestiferi?

Quibus rebus cognitis factum est, ut Mytilenaeis in Lacedaemoniorum societatem receptis auxilium promitteretur atque, ut iterum terra marique in Athenienses impetus fieret, constitueretur. Etsi ceteri socii tardi erant, Lacedaemonii tamen, ut erat imperatum, in Isthmum convenerunt. Quo in rerum discrimine Athenienses et hostibus resistere diversisque locis naves instructas obicere neque quidquam de classe Mytilenaeensi detrahere paratissimi erant. —

Cum interim a Mytilenaeis omnia, quae bello usui erant, in insula pararentur atque frustra Methymna opprimeretur, Paches, Atheniensium dux praefectusque classis, Mytilenen obsidere coepit, quae mox omni auxilio interclusa est. Nam Alcidas ineunte aestate quadraginta duabus navibus Peloponnesiorum in mare Aegaeum missus tam imperite incallideque omnia egit, ut Mytilenaei in summum periculum adducti Salaetho Lacedaemonio auctore, qui, ut auxilium nuntiaret, aliquot mensibus ante in urbem venerat, in eruptione salutem peterent. Sed cum populus, qui et ipse ad eam rem perficiendam armatus esset, iam magistratibus obedire nollet frumentumque, ut in medium proferretur atque distribueretur, postularet seque cum Atheniensibus pactionem facturum urbemque traditurum minaretur, illi, qui rei publicae praeerant, tanto periculo consternati cum Pachete paciscuntur, ut Atheniensibus, quemadmodum vellent, de Mytilenaeis statuere liceret atque exercitus in urbem reciperetur, Mytilenaei, ut Athenas legationem mitterent, Paches, ne interea quemquam in vincula coniceret aut in servitutem redigeret aut occideret.

Septimo demum die postquam Mytilene capta est, Alcidas ad Lesbum classem appulit, a quo etsi postulabatur, ut civitates Graecas in Aeolide Ioniaque in libertatem, quae a Lacedaemoniis ageretur spectareturque, vindicaret, nihil tamen susceptum est. Paches vero, insula Lesbo facile subacta, Mytilenaeorum optimates, qui defectionis auctores videbantur, et Salaethum Lacedaemonium, ut iudicarentur, Athenas misit. Eorum adventu quam Atheniensium animi irritati fuerint, facile intellegi potest; nam magnis in insulae obsidione pecuniis consumptis, cum tunc primum ducenta talenta conferenda essent[1]), in mari Aegaeo Peloponnesiorum classis versari auderet, socii Aeolidis Ioniaeque metum defectionis praeberent, atrocior iam invidia animique offensio orta est. Neque inter Athenienses esse videbantur, qui civium irritatos animos placare aut possent aut vellent, sed plurimi inveniebantur, qui animi perturbationibus obtemperarent libidinesque augerent. Quorum omnium primus exstitit Cleon, cuius Thucydides primum mentionem facit hoc loco.

---

[1]) cfr. Thuc. III. 19. — cfr. Boeckh, Staatshaushaltung der Athener I. S. 618.

Cum enim illi Mytilenaei et Salaethus Lacedaemonius Athenas pervenissent, Athenienses confestim hunc interfecerunt et summa ira ducti non solum, ut, qui adessent Mytilenaeorum viri summo supplicio afficerentur, verum etiam, quotquot puberes essent, necarentur atque coniuges liberique in servitutem redigerentur, constituerunt. Itaque confestim triremi ad Pachetem mittunt, qui Mytilenaeos primo quoque tempore esse necandos nuntiarent. Sed iam postero die consilii illius, cum saevum et atrox putaretur, eos poenitebat. Quod cum Mytilenaeorum legati et, qui Atheniensium iis studebant, animadvertissent petissentque, ut iterum sententiae rogarentur, coacta est concio, in qua cum alii tum Cleon, ut prioris diei decretum sustineretur, exstitit.

Iam vero Thucydides, qui Cleonem introducit[1]) his verbis: *Κλέων ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος*, longiore oratione eundem loquentem et ea cum aequabilitate argumenta sententiae sustinendae, quae in prioribus suffragiis evicerat, exponentem facit, ut et animi legentium permoveantur et ipsa observanda contemplandaque videantur.

Verum orationem illam plenam terroris aptamque esse, qua furor multitudinis cupiditatesque excitentur et vacillantium civium animi erigantur ad sustentandamque priorem sententiam adducantur, quis est, quin intellegat? Cleon enim Athenienses pluribus verbis castigat, quod in sententia non permaneant, et eorum imperium, ait, in alios obtineri non posse, si molles misericordesque esse velint; sed perniciosissimum omnium esse, si leges non observentur; multo meliorem esse eius civitatis statum, quae, etsi minus bonis legibus utatur, eas tamen observet, quam, quae bonas neglegat. Blandis adversariorum verbis ne obtemperent, qui legibus sapientiores esse velint; se non fluctuare, se in eadem permanere sententia et, quod priore die de Mytilenaeis decretum sit, sustineri velle, cum sit aequum atque necessarium. Qui aliter sentiant neque id, quod ipse, agant, eos aut corruptos esse aut sophistarum more blandis dicendi artibus excellere velle putat. Quare cavendum esse, ne Athenienses eiusmodi speciosis orationibus delectentur, ne respublica in summum periculum adducatur. Maximas iniurias illatas esse a Mytilenaeis, qui, optima inter omnes socios rerum condicione usi, non solum descivissent, verum etiam cum acerbissimis Atheniensium hostibus societatem inissent atque classem in mare Aegaeum vocassent idque egissent, ut reipublicae Atheniensium interitum

[1]) cfr. Thuc. III. 36.

pararent. Jam vero ne alii quoque socii deficere conentur, summo supplicio Mytilenaeos afficiendos esse; eo enim terrore ceteros socios ab eiusmodi voluntatibus et consiliis averti et depelli posse. Denique, quibus permoveri videantur, illis imperio perniciosissimis rebus: misericordiae, orationum oblectationi, magnanimitati (οἴκτῳ καὶ ἡδονῇ λόγων καὶ ἐπιεικείᾳ) resistendum esse. Lesbios iure morte mulctandos esse, eam poenam Atheniensibus esse necessariam et utilem.

Hac oratione habita, Eucratis filius, Diodotus qui erat partis moderatorum virorum et in superiore concione maxime erat adversatus, atque ne Mytilenaei necarentur contendit, postero die pluribus verbis a saevo illo et atroci in Mytilenaeos iudicio Athenienses avertere studet; qua in re cum ipse non pariter atque Cleon Atheniensium animis voluntatibusque niti fidereque posset, modestia usus prudenter cauteque agens rem exquirit[1]). Initio orationis suspicionem, quae Cleoni erat de iis, qui aliter atque ipse sentiebant, repellere conatur et maximis de rebus saepius consultari necesse esse demonstrat eamque Cleonis sententiam refutat, qui solos corruptos aut inani se ostentandi studio ductos speciosis orationibus pro Mytilenaeis dicere velle contenderit. Neque immerito Diodotus, qui omnino accuratius causam Mytilenaeorum cognoscere et inquirere studuit, non tam de lite aestimanda iureque dicendo quam de adhibenda civili prudentia et, quae imprimis civitati respicienda sint, agi necesse esse profert atque illustrat. Quibus praemissis et expositis moderationem suadet, terroris iniciendi studium, quod Cleon praedicat, dissuadet. Neque enim unquam aut in privata aut in publica vita homines vel gravissimis poenis deterreri solere, quominus peccent neque futurum esse, ut deterreantur et deducantur, cupiditatibus quibusdum cum resistere vix possint. Quoniam ne terror quidem securitatem praebeat, suadet Diodotus, ne Athenienses summa severitate ducti ad desperandum resistendumque socios deficere conatos impellant. Ea enim re fieri posse, ut captis dirutisque eorum oppidis et ipsi magnis opibus priventur et, de omnibus Mytilenaeis gravissimo supplicio sumpto, qui antea Atheniensium populi imperio studuerint, iam avertantur atque in adversariorum partes ducantur, praesertim cum, ut deficerent, ob optimatibus coacti sint, sed mox data occasione ad Athenienses transierint.

---

[1]) Recte Curtius, Classenius, viri doctissimi observaverunt, a Thucydide illa oratione Diodoto, viro ingenuo liberalique et rerum civilium peritissimo, pulcherrimum monumentum positum esse — cfr. Curtius hist. gr. II. p. 825 n. 48. Cfr. Classenii edit. Thucydidis III, 41.

Denique aperte, quae Cleonis sit sententia, istam ultionem iustam eandemque utilem esse, se non videre dicit[1]).

Haec Diodotus post Cleonem locutus est. Prolatis vero eorum inter se maxime contrariis sententiis, Athenienses de decreto faciendo inter se contenderunt et, postquam ad suffragia ventum est, par fere utrimque numerus fuit; atque vix Diodoti sententia vicit. Quare Athenienses confestim ad Pachetem alteram triremem miserunt, quae secundo vento maxima festinatione usa, ne, si forte prior ante advenisset, civitas iam extincta inveniretur[2]), eo ipso temporis momento Lesbum appulit, cum Paches decretis lectis iam in eo fuit, ut imperata efficeret. Sed quos Paches ut praecipuos defectionis auctores miserat, quorum numerus mille plus erat, Athenienses Cleonis sententiam secuti, omnes morte mulctaverunt[3]). Ita Mytilene vix a summo periculo servata est.

Iam vero pluribus verbis, quae in Cleonis et Diodoti orationibus praecipuae continentur sententiae et, quae Cleon in illa Mytilenaeorum causa egit atque perfecit, exposita sunt, quo planius cognoscatur et disceptetur, sitne aequum iudicium Thucydidis, a quo Cleon *„βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος"* vir violentissimus et apud plebem eo tempore omnium maxime probatus orator denotetur.

Nobis quidem considerantibus et ab omni parte, quae de Cleonis ingenio rebusque gestis tradita sunt, examinantibus illum, ut impigrum plenumque vi ac vigore virum, ita perniciosum populi actorem fuisse negandum non est et Thucydidis verba, quibus ille *βιαιότατος καί πιθανώτατος τῷ δήμῳ* significetur, convenientia et aequa esse.

Iure enim vehementissimus is dici potest, qui protulit et defendit, ut quotquot essent puberes Mytilenaeorum in magna illa opulentaque insula, quae ab Atheniensibus defecisset, necarentur et coniuges liberique in servitutem redigerentur, qui, cum altera concio convocata

---

[1]) *Καὶ τὸ Κλέωνος τὸ αὐτὸ δίκαιον καὶ ξύμφορον τῆς τιμωρίας οὐχ εὑρίσκεται ἐν αὐτῷ δύνατον ὂν γίγνεσθαι.* (Thuc. III. 47.)

[2]) *Κατὰ τύχην δὲ πνεύματος οὐδενὸς ἐναντιωθέντος καὶ τῆς μὲν προτέρας νεὼς οὐ σπουδῇ πλεούσης ἐπὶ πρᾶγμα ἀλλόκοτον, ταύτης δὲ τοιούτῳ τρόπῳ ἐπειγομένης, ἡ μὲν ἔφθασε τοσοῦτον ὅσον Πάχητα ἀνεγνωκέναι τό ψήφισμα καὶ μέλλειν δράσειν τὰ δεδογμένα, ἡ δ'ὑστέρα ἐπικατάγεται καὶ διεκώλυσε μὴ διαφθεῖραι.* Thuc. III, 49.

[3]) *τοὺς ἄλλους ἄνδραις, οὓς ὁ Πάχης ἀπέπεμψεν Κλέωνος γνώμῃ διέφθειραν οἱ Ἀθηναῖοι. ἦσαν δὲ ὀλίγῳ πλείους χιλίων.* Th. III. 50.

esset, id egit, ne quid iracundia remissa de Mytilenaeis statueretur[1]), qui denique, ut mille Mytilenaei summo supplicio mulctarentur, effecit. Atque, ut Athenienses, ira excitata, alias normas rationesque in sociis ac in civibus iudicandis sequerentur, quibus ille dicendi artibus et rationibus est usus?

Monet enim populi imperium ad obtinendum in alios imperium minime aptum esse neque Athenienses eadem fiducia in socios ac in cives uti licere, nam in illos imperium, quod obtineant, tyrannidem esse, et cum speciosis orationibus aut misericordia ducti quid peccaverint aut quid noxae remiserint, futurum esse, ut respublica magna incommoda ferat; maximum iam esse, cum quod semel constitutum sit, non sustineatur decretum; cum sint, qui se legibus prudentiores esse existiment easque neglegant. Deinde, qui aliter atque ipse sentiant alteramque concionem convocari velint, eos in suspicionem vocat et aut corruptos aut sophistarum more dicendi cupidos esse indicat. Iam vero facile maiorem partem populi pellicere poterat, cum diceret, inscitiam cum continentia iunctam praestantiorem esse quam sollertiam cum intemperantia ét simplices homines, si cum callidioribus conferantur, melius plerumque quam illos respublicas administrare, cum sibi parum confidant seque legibus minus prudentes habeant atque secundum leges, non rabularum more iudicare soleant[2]).

Quibus sententiis prolatis nihil aliud spectabat nisi, ut, quos simplices eosdemque meliores homines haberet, cum melius decernere viderentur, quam artibus politi, sed perversi, suam sententiam sequerentur. Suam maxime constantiam, suum firmum animum praedicat et extollit verba Periclis imitatus[3]); cives monet, ne inconstantiam mutabilitatemque mentis prae se ferant; sane quidem, quod sententiae mutatio hac in causa eius consilio minus respondeat conveniatque, cum alias perseverantiam in sententia constantiamque pectoris angustias vocare non dubitaret. Qui, altera concione convocata, moram in ferendo iudicio faciant et tranquillo animo atque accuratius rem inquirendam suadeant, eos eorruptos esse et e re eorum, qui

[1]) cfr. Thuc. III, 38. *ὁ γὰρ παθὼν τῷ δράσαντι ἀμβλυτέρᾳ τῇ ὀργῇ ἐπεξέρχεται, ἀμύνασθαι δὲ τῷ παθεῖν, ὅτι ἐγγυτάτῳ κείμενον ἀντίπαλον ὂν μάλιστα τὴν τιμωρίαν ἀναλαμβάνει.*

[2]) cfr. Thuc. III, 37. *πάντων δὲ δεινότατον εἰ . . . . μὴ γνωσόμεθα ὅτι ἀμαθία μετα σωφροσύνης ὠφελιμώτερον ἢ δεξιότης μετὰ ἀκολασίας, οἵτε φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους; ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις.*|

[3]) cfr. Classen. ad Thucyd. III, 37 not.

iniurias intulerint, agere dicit; ira enim languescente nihil nisi incommoda magnumque reipublicae periculum fieri, imprimis si, qui decernere debeant, blandis oratorum verbis ducti non facta, sed captiosa verba respicientes, iudicium ferre velint. Monet atque hortatur, ne civium animi ea in causa, quae sit gravissima, verbis, quae oratores faciant, decipiantur, sed ut a Mytilenaeis, qui, optima ante alios socios usi condicione, a societate Atheniensium defecissent, summam noxam admissam esse intellegant. Culpam neque a plebe neque ab optimatibus abesse; venia non opportuno tempore data eiusmodi seditiones neque opprimi et rempublicam partiendo vires, custodiendo socios in summum periculum adduci posse. Atqui cogitationes consiliaque sua vel gravissimissimis et verbis et sententiis ita exornare atque populi mentem ita confundere scit, ut istud eius consilium, quod a civili prudentia abhorret et quo supplicium exempli parum memoris legum humanarum postulatur, acsi omnium bonorum officium sit, comprobari velit.

Iam vero ut, quae vellet, assequeretur, quibuscunque poterat rationibus, omni genere dicendi, mira arte blandiendi, castigandi, speciemque boni viri prae se ferendi facile utebatur ita, ut vel in optime meritos viros, qui in republica administranda adversarii eius erant, omnem suscipionem conferre non dubitaret.

Neque iniuria a Thucydide Cleonem et violentissimum virum et apud plebem maxime probatum oratorem (*βιαιότατον καὶ πιθανώτατον*) significatum esse concedendum est considerantibus nobis Diodotum, allatis in illa oratione pro Mytilenaeis habita gravissimis argumentis, vix efficere potuisse, ut mille illi Mytilenaei, qui auctores defectionis habebantur, summo supplicio afficerentur, ceteri servarentur, Mytilenes muris dirutis, navibus abductis, colonis in insulam missis.[1])

Iam hoc loco praetereundum non est a Grotio, viro doctissimo, gravitatem argumentorum, quae Diodotus attulisset, parum observatam esse. Quid Diodotus oratione sua spectat agitque? Initio imprimis istam iram et celeritatem agendi, quas Cleon suadeat, bonae consulationi contrarias esse monet atque ostendit iudicium in causa Mytilenaeorum tum ferri posse aequum, cum non iuris quaestio sed, quae commoda aut, quae incommoda reipublicae Athenien-

[1]) cfr. Thucyd. III, 50.

sium, diiudicata causa, ferantur, expositum illustratumque sit[1]). Cleonis rationem agendi atque terrendi a civili prudentia abhorrere perversamque esse et saevitiam adhibere imperio oppressis iisque sociis neque e re Atheniensium esse posse neque unquam commoda ferre.

Nonne Diodotus iam his verbis Atheniensibus ante oculos animosque ponere voluit sociorum, si socialem fidem colere deberent, condicionem bene perpendendam respiciendamque esse et rationem cum iis agendi iustam ineundam, ne unquam metum defectionis praeberent? Plurimi enim sociorum iam non socii, sed ditioni crudelium atque avarorum dominorum subacti fuerunt eoque magis ad desciscendum prompti erant.

Cuius rei cum rationem haberet Diodotus, vir saluti patriae futuraeque eius condicioni prospiciens, id imprimis egit, ut reiecta Cleonis ratione terrendi, Athenienses iis consiliis uterentur, quibus socii, ne deficerent, tenerentur; quod quidem fieri poterat, si Athenienses neque superbe avareque imperitarent neque, cum bella gererent, sociis adversus eos, qui eadem stirpe essent, uterentur. Itaque eo ipso tempore, quo bellum cum Peloponnesiis gerebatur, etsi rem ad perficiendum haud facilem, tamen necessariam et utilem suadebat, ne id fieret, quod post cladem Siciliensem factum est, cum fere omnes socii defecissent Atheniensesque maximis opibus privati esse viderentur. Quae cum ita essent, multo magis probanda erat illa Diodoti agendi ratio quam ista Cleonis vis, iste vigor, cum plerumque non suo loco accommodata essent.

Sed quantum Diodoti oratio valuerit, supra satis explicatum esse videtur; hoc loco, cum et re et verbis cum fide a Thucydide tradita sit, circumspectis sententiis et argumentis, eiusmodi illius de gravitate iudicium ferri potuisse, quod latum sit, commemorare licet.

Grotius vero adversarii Cleonis argumentis parum perpensis non animadvertit, oratione illius viri sinceri consilia exposita et e civili prudentia orta et moderationis plena et reipublicae Atheniensium saluberrima multoque praestantiora ista Cleonis ratione terrendi fuisse, sed protulit, illis temporibus praeter nobilissimo loco natos omnique genere doctrinae politos exstitisse ex iis, qui varios quaestus et mercaturam faciebant, viros eosque haud paucos, naturali quadam facultate praeditos, qui, si quid in republica administranda valere vellent, ut adversarentur illis, qui optimates dicebantur, cogerentur; in quo numero virorum fuisse Eucratem

[1]) cfr. Thucyd. III, 44. *ἡμεῖς δὲ οὐ δικαζόμεθα πρὸς αὐτοὺς* (sc. *Μυτιληναίους*) *ὥστε τῶν δικαίων δεῖν, ἀλλὰ βουλευόμεθα περὶ αὐτῶν, ὅπως χρησίμως ἕξουσιν.*

restionem, Lysiclem, ovium mercatorem, Hyperbolum, qui lucernis, Cleonem, qui coriis vendendis quaestum facerent, eosque paulatim, cum in viros, qui in republica plurimum valebant, vehementius inveherentur, apud plebem magnam auctoritatem esse assecutos. Eo modo Cleonem, a natura rerum gerendarum adiumentis praeditum, cum rerum peritus, mira arte dicendi, animo atroci esset, cum peritissimis rerum publicarum viris adversaretur eosque aggrederetur, mox altiorem dignitatis gradum ascendisse et ad summos evectum esse honores.

Quibus expositis Grotius, ut Cleonis rationem defendat, Mytilenaeis neque ullam desciscendi causam fuisse et eorum condicionem meliorem quam ceterorum sociorum exstitisse dicit atque contendit orationem Diodoti, cum contionis misericordiam non provocet, argumento esse, si illorum temporum ius belli spectes, consilium Cleonis crudelius non fuisse.

Sed in easdem cum Grotio sententias abire nequeo. Diodotus enim cum illud consilium, quo pariter omnes Mytilenaei summo supplicio afficerentur, impugnaret ferretque, ut, quos Paches ut sontes misit, de iis Athenienses tranquille quaestionem haberent, ceteros vero in insula manere sinerent, sicut misericordiam nimiam non expetebat, ita plane non reiciebat[1]). Neque Diodotus contionis misericordiam pariter movere voluisse videbatur, qui imprimis agebat, ut Athenienses bene perpensis incommodis, quae ex summo omnium Mytilenaeorum supplicio ferri possent, quae meliora viderentur quaeque suaderet, consilia caperent.

Ceterum etsi misericordiam Atheniensium non expetisset, mirandum non est nobis reputantibus Diodotum in illa contione maiora gravioraque in animo habuisse et postulasse eaque, profecto, Paricle digna, cum diceret: non esse committendum, ut severe socios iudicando detrimenti quid respublica caperet, sed videndum, quomodo, moderatis poenis repetitis civitatibus validis in posterum uti posset. Athenienses vero contraria facere et putare liberos homines et invitos imperio aliorum parentes, si ad libertatem defecerint, atrocissimis suppliciis afficiendos esse. Verum liberos homines, ait, cum deficiant, acriter puniri aequum non esse, sed antequam

---

[1]) cfr. Thuc. III, 48. *Ὑμεῖς δὲ γνόντες ἀμείνω τάδε εἶναι καὶ μήτε οἴκτῳ πλέον νείμαντες μήτε ἐπιεικείᾳ οἷς οὐδὲ ἐγὼ ἐῶ, προσάγεσθαι, ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν παραινουμένων πείθεσθέ μοι κ. τ. λ.*

defecerint, quibus sit imperium, iis omnino diligenter custodiendum atque antevertendum esse, ne illi in cogitationem quidem eius rei veniant'[1]).

Iam ad illam meliorem, quam Grotius dicit, Mytilenaeorum revertamur condicionem, quam nos dubiam ancipitemque fuisse putamus. Nam quamquam Mytilenaeorum condicio ita, ut suas ipsi naves exornare possent, ceterorum sociorum condicione melior erat, tamen Mytilenaei cum in dies eam acerbiorem, non ferendam viderent, iam similem sibi timere coeperunt.

Quod Grotius socios ab Atheniensibus adeo non oppressos fuisse censet, ut ad defectionem impellerentur cogerenturque, quae Cleon initio orationis suae dicit: „*οὐ σκοποῦντες ὅτι τυραννίδα ἔχετε τὴν ἀρχὴν καὶ πρὸς ἀρχομένους*" repugnare videntur.

Etsi Grotius Mytilenaeorum defectionem neque iustis de causis et Atheniensium rebus afflictis susceptam esse contendit et horum animos summopere irritatos omninoque bello peloponnesiaco rationem belli severissimam crudelissimamque fuisse memorat; tamen, quod tulit Cleon, ut insulae illius magnae et opulentissimae omnes puberes, Methymna excepta, trucidarentur, omnes coniuges liberique in servitutem redigerentur, eiusmodi consilium longe crudelissimum suppliciumque exempli parum memoris legum humanarum fuisse concedendum est.

Eas profecto crudelitates, quas Cleon et suasit et in puniendis sociis adhibuit, Atheniensium optimus quisque, ut Thucydides, neque probandas neque ullo modo e re civitatis esse posse sentiebat. Sed Grotius eas ita traditas esse animadvertit ut, cum a Thucydide auctoris crudelitatum in Mytilenaeos et Scionaeos collatarum nomen afferretur, ne verbo quidem, qui multo maiores in Melios acerbitates crudelitatesque suasissent et exercuissent, commemorarentur. Monet igitur Thucydidem hostili animo in Cleonem, causam exilii, flagrasse neque unquam eius mentionem fecisse nisi coniunctis rebus, quibus istum minus prudenter, minus honeste rem gessisse appareret. At Thucydides cum in causa Mytilenaeorum aequo animo res gravissimas, quae ad rem publicam pertinebant, exponeret, adeo odium in Cleonem declarare

[1]) cfr. Thuc. III. 46. *ὥστε οὐ δικαστὰς ὄντας δεῖ ἡμᾶς μᾶλλον τῶν ἐξαμαρτανόντων ἀκριβεῖς βλάπτεσθαι ἢ ὁρᾶν ὅπως ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον μετρίως κολάζοντες ταῖς πόλεσιν ἕξομεν ἐς χρημάτων λόγον ἰσχυούσαις χρῆσθαι, καὶ τὴν φυλακὴν μὴ ἀπὸ τῶν νόμων τῆς δεινότητος ἀξιοῦν ποιεῖσθαι, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἔργων τῆς ἐπιμελείας.* Atque, quae sunt eodem capite monita, cfr: *χρὴ δὲ τοὺς ἐλευθέρους οὐκ ἀφισταμένους σφόδρα κολάζειν, ἀλλὰ πρὶν ἀποστῆναι σφόδρα φυλάσσειν καὶ προκαταλαμβάνειν ὅπως μηδ' ἐς ἐπίνοιαν τούτου ἴωσιν.*

voluisse non videtur, ut neque sincerus iudex, neque locuples testis habendus esset. Ceterum Cleonem illius exilii causam fuisse nullis certis antiquitatis testimoniis probatur, atque Thucydidis indignatio aliis iisque iustis de causis profecta videtur.

Cum enim Mytilenaeorum causa anno post Periclis mortem exacto ageretur, primum in maioris momenti re Thucydidi occasio data est exprimendi doloris, quo afficiebatur, cum perlustraret animo respiceretque, quaenam reipublicae, aliis populi ducibus, et esset et impendereti condicio.

Thucydides enim illam gubernandae reipublicae rationem, qua Pericles usus est, atque imprimis eiusmodi potestatem, quae illi viro prudentissimo et rerum administrandarum peritissimo a populo data et certis finibus ciricumscripta erat, desiderabat, requirebat, qua et salus patriae servaretur et Atheniensium gloria augeretur. Verum loco rationis bene administrandae civitatis, loco moderatae potestatis, ortum est multitudinis intemperatum imperium atque exstiterunt viri, dignitate inter se pares, quorum singuli cum principem in republica locum affectarent, eo conversi sunt, ut ad populi libidines res transmitterent[1]). Pericles vero cum et dignitate et consilio in republica plurimum polleret, neque ullis donis corruptus esset, admodum liberali modo plebem in officio continebat nec magis ab ea regebatur quam ipse regebat, propterea quod non malis artibus potestatem quaerens nunquam ad multitudinis libidinem diceret. Is enim Athenienses, si tranquillis animis omnia agerent consulerentque et rebus nauticis operam darent neque novum imperium quaererent neque rempublicam in discrimen vocarent, victores evasuros esse dicebat. Illi vero, qui in republica gubernanda Periclem secuti sunt, ut Cleon, et haec omnia contra egerunt et alia, quae ad hoc bellum pertinere non videbantur, ob privatam ambitionem et privatos quaestus in suam sociorumque perniciem administrarunt[2]).

Quae omnia secum reputans Thucydides cum iam in diiudicanda Mytilenaeorum causa, multo aliam quam, quae Pericli probaretur, agendi rationem, Cleone duce, initam esse intellegeret, de salute reipublicae timere coepit. Atque cum Cleonem iam populi libidines excitantem

---

[1]) cfr. Th. π, 65. οἱ δὲ ὕστερον ἴσοι αὐτοὶ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους ὄντες καὶ ὀρεγόμενοι τοῦ πρῶτος ἕκαστος γίγνεσθαι ἐτράποντο καθ' ἡδονὰς τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα ἐνδιδόναι.

[2]) cfr. Th. II, 65. ἐκεῖνος μὲν (sc. Περικλῆς) δυνατός ὢν τῷ τε ἀξιώματι καὶ τῇ γνώμῃ χρημάτων τε διαφανῶς ἀδωρότατος γενόμενος κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως κ. τ. λ.

terrendique arte usum eos, qui aliter atque ipse consulerent, a dicendo removere conatum vidisset, nonne iure meritoque, omissa vel omni ira privata, his ipsis de causis eum violentissimum populi ducem maximeque apud plebem probatum oratorem significare potuit?

Neque res, quas Cleon postea ad Pylum[1]) atque ad Amphipolin[2]) gessit, quae satis notae sunt et hoc loco praetereundae videntur, ullo modo iudicium, quod est de Cleone latum, infringere aut omnino mutare possunt; nam neque opportuno tempore cum Lacedaemoniis pacem facere paratus erat, neque ad Amphipolin peritum consiliique plenum exercitus ducem se praestitit; quibus in rebus haud dubie eius turbulentus factiosusque animus et insolentia impedimento ei erat.

Quibus expositis atque Cleonis et Diodoti orationum, quas investigavimus, ratione habita nonne concedendum videtur, quod Thucydides de Cleone tulerit iudicium, et aequum esse et tenendum? An iis, qui Thucydidem, ut optimatium imperio addictum atque hostili animo in Cleonem ipsum flagrantem, praeiudicata opinione iudicasse existiment, assentiendum esse putemus?

Quodsi mirum videtur, quod sunt, qui Thucydidem non aequo animo de Cleone iudicium tulisse putent, multo magis mirandum est identidem existere viros, qui omnino de Thucydidis fide historica dubitent eumque in suspicionem vocent[3]). Quorum virorum opinioni non solum Thucydidis mores ingeniumque et libri, verum etiam veterum testimonia discrepant atque repugnant.

Atque primum, quas Thucydides virtutes nobilissimis et honestissimis tribuit viris, ut Pericli, eas in ipso fuisse, qui eum lectitant, intellegunt[4]). Is profecto maximo patriae amore imbutus, honestati plurimum tribuens, in rebus publicis aestimandis summa ingenuitate usus res secundas et adversas moderatione et aequo animo ferre, libidines coercere, pro patriae salute vel durissima pati optimi cuiusque esse intellexit. Idem magno praeditus ingenio, quod Anaxagorae, illustrissimi illius inter veteres philosophi, aliorum doctrina praestantissimorum

[1]) cfr. Thuc. IV, 21—28.

[2]) Thuc. V, 16.

[3]) Hermann Müller-Strübing, in libello, qui inscribitur „Aristophanes und die historische Kritik, Lipsiae 1873.“ nuper cum demonstrare studeret Thucydidem ab iudicandi aequabilitate alienum neque partium studio vacuum consulto res reticendo Atheniensium reipublicae statum perverse descripsisse, iure meritoque a Classenio v. d. omnesque in partes de Thucydide optime merito refutatus est. Cfr. Classen. Thucyd. prooem. V. p. 9. sqq.

[4]) Quae res uberius exposita est ab H. Colombelio, v. d. cfr. „Thucydidis de reipublicae constituendae et administrandae ratione quae fuerit sententia“ p. 11. sqq. progr. Hadamar. 1871.

virorum cousuetudine excoluit, quo investigandae veritatis ardore, qua sagacitate iudiciique acie opus suum aggressus sit, facile iam ex prooemio, quod ei praeposuit, intellegi potest[1]). Ita et orationes, quae praestantissima operis pars est, et res gestas cum superiorum tum belli peloponnesiaci temporum summo investigandae veritatis amore ductus referre et tradere atque vera a falsis secernere studuit. Neque enim scribere se, ait, ut legentium aures mulceret animosque oblectaret, sed ut opus suum perpetuum esset generis humani monumentum — *κτῆμα ἐς ἀεί.*

Iam vero veterum testimonia, quibus eius veritatis amor, dignitas auctoritasque demonstretur, quae sint, afferre licet.

Atque oratorum veterum nemo de Thucydide quidquam tradidit neque apud Platonem aut Aristotelem quidquam, quod ad illum pertineat, legimus, sed quod memoria dignum videtur, Thucydidis libros octies a Demosthene transscriptos esse traditum est[2]).

Apud Romanos Thucydidis auctoritatem plurimum valuisse testis est Cicero, qui sedulo eius libris operam dedit eumque rerum gestarum pronuntiatorem sincerum nominavit[3]); testis est Sallustius, qui quantum eum imitatus sit, ipsius libris manifesto elucet; testis est Cornelius Nepos, qui testimonia Thucydidis plurimi aestimat et saepissime laudat; testis est Quintilianus, qui eum densum et brevem et sibi semper instantem, concitatis affectibus, contionibus, vi meliorem Herodoto, quem sermonibus, voluptate praestantiorem esse dicit.[4])

Dionysius Halicarnassensis denique, ille rigidus Thucydidis censor, in libello, qui inscribitur „*περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος*", quae tradidit, hoc modo afferre licet:[5]) Atque et philosophi et oratores omnes, aut si non omnes, plerique certe Thucydidem consentiunt de retinenda

---

[1]) cfr. Thucyd. I, 22. *καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν· ὡς δ᾽ ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ᾽ εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, εἴρηται.*

[2]) Lucian. adv. indoctum. c. 9. *τὰ τοῦ Θουκυδίδου, ὅσα παρὰ τοῦ Δημοσθένους κὰι αὐτὰ ὀκτάκις μεταγεγραμμένα εὑρέθη καλῶς.*

[3]) Cic. Br. 83, 287.

[4]) Quintil. X. 1, 73.

[5]) *Μαρτυρεῖται δὲ τῷ ἀνδρὶ τάχα μὲν ὑπὸ πάντων φιλοσόφων τε καὶ ῥητόρων, εἰ δὲ μή, τῶν γε πλείστων, ὅτι καὶ τῆς ἀληθείας, ἧς ἱερὰν εἶναι τὴν ἱστορίαν βουλόμεθα πλείστην*

veritate, cui consecratam esse historiam volumus, plurimum laborasse, nihil addidisse rebus, quod iustum non esset, nihil detraxisse, nihil ad suum arbitrium scripsisse, viam secutum esse rectam et quae ab omni prorsus invidia omnique assentatione, praesertim cum de praestantissimis iudicet viris, longissime abesset.

---

Cum de Thucydidis iudicio de Cleone lato atque de eius fide auctoritateque satis dixisse videamur, restat, ut de Aristophane, qui fabulis datis Cleonis imaginem iis, qui eum tutari cupiunt non aptam depinxisse videatur, pauca commemoremus. Qui defensores Thucydidem et Aristophanem propterea, quod a Cleone laesi esse dicuntur, integre ingenueque iudicasse negant. Sed iam supra Thucydidem non odio flagrantem, sed quemadmodum par erat, Cleonis agendi ratione bene perpensa, summo studio veri ductum iudicium aequum tulisse monuimus. Neque multo aliter de Aristophane dici potest. Verum ut veteris comoediae poëtae, quae ad civiles res pertinebant, argumenta tractabant atque vitia castigabant neque vel principibus civitatis parcebant, ita Aristophanes Cleonis, qui tum reipublicae gubernandae praeerat, perversam et perniciosam agendi rationem iisdem, quibus Thucydides commotus causis perstringebat.

Ita quae a Thucydide animadvertuntur atque reprehenduntur vitia, fere eadem eodem modo et ab Aristophane notantur. Neque immerito Cleon ab utroque describitur, qui abigere terrendique ratione optimum quemque a contione removere studeat, quominus saluti reipublicae consulant; ceterum quibus verbis a Thucydide (III, 38) describitur, fere iisdem ab Aristophane adumbratur in Equitibus v. 58. sqq.:

*Ἡμᾶς δ᾽ἀπελαύνει, κοὐκ ἐᾷ τὸν δεσπότην*
*ἄλλον θεραπεύειν, ἀλλὰ βυρσίνην ἔχων*
*δειπνοῦντος ἑστὼς ἀποσοβεῖ τοὺς ῥήτορας.*
*ᾄδει δὲ χρησμούς ὁ δὲ γέρων σιβυλλιᾷ.*
*ὁ δ᾽ αὐτὸν ὡς ὁρᾷ μεμακκοηκότα,*
*τέχνην πεποίηται. τοὺς γὰρ ἔνδον ἄντικρυς*

---

*ἐποιήσατο πρόνοιαν οὔτε προστιθεὶς τοῖς πράγμασιν οὐδὲν, ὃ μὴ δίκαιον, οὐδὲ ἀφαιρῶν οὐδὲ ἐνεξουσιάζων τῇ γραφῇ, ἀνέγκλητον δέ καὶ καθαρὰν τὴν προαίρεσιν ἀπὸ πάντος φθόνου καὶ πάσης κολακείας φυλάττων, μάλιστα δ᾽ἐν ταῖς περὶ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν γνώμαις.* Cfr. Dionys Halic. de Thucyd. iud. c. 8. edit. C. W. Krüger.

*ψευδῆ διαβάλλει· κᾆτα μαστιγούμεθα*
*ἡμεῖς· Παφλαγὼν δὲ περιθέων τοὺς οἰκέτας*
*αἰτεῖ, ταράττει, δωροδοκεῖ, λέγων ταδί·*
*ὁρᾶτε τὸν Ὕλαν δὶ ἐμὲ μαστιγούμενον;*
*εἰ μή μ' ἀναπείσετ', ἀποθανεῖσθε τήμερον.*

Verum qui dicant haec omnia esse a poeta ad arbitrium ficta neque ulla apta imaginis lineamenta allata, iis profecto quae Lessingius (in dramatur. part. 91.) atque quae Wendtius[1]) docet, in medium proferenda sunt haec: „Aber wie sehr verkennt man das Wesen der Komödie wenn man diese nicht treffende Züge für nichts als muthwillige Verläumdung erklärt und sie durchaus dafür nicht erkennen will, was sie doch sind, für Erweiterungen des einzelnen Charakters, für Erhebnng der Persönlichkeit zum Allgemeinen."

Wendtii locus est hic: „Bei Aristophanes ist in der politischen Sphaere Cleon das komische Ideal der allgemeinen Verkehrtheit und nicht ein Ideal, welches der Dichter willkürlich geschaffen und ausgebildet hat, sondern die concrete, in allen Gliedern treu ausgeprägte Gestalt, welche er zu dem Mittelpunkte der wirklichen Gegenwart gemacht, das lebende volle Bild, in welchem er mit der reinsten und glühendsten Vaterlandsliebe, mit dem klarsten Bewustsein über die gesunde Kraft der Vorzeit und das krankhafte Treiben der abgeschwächten Gegenwart seines Volkes diesem die eigene Wirklichkeit im Lichte poetischer Wahrheit vor Augen gestellt hat. Und da seine Dichtungen zu ihrem Boden den Staat und die Familie haben, wie sie wirklich waren, zu ihren handelnden Personen entweder lebende oder doch solche Charaktere, die jeder Zuschauer als ächte Landsleute erkennen musste: so vereinigen sie mit der poetisch treuen d. h. idealen Obiectivirung ihrer Zeit den für den Historiker unendlich erspriesslichen Werth der Wahrheit in allen als thatsächlich bezeichneten Zügen.

---

Sed ut summam eorum, quae dicta sunt, faciamus, proferendum videtur: Thucydidem de Cleone iudicium, quod imprimis ipsius Cleonis et Diodoti orationibus illustretur, non ira incensum sed, rebus publicis bene perpensis et circumspectis, patriae amore verique studio ductum aequum tulisse et Aristophanem Cleonis imaginem aptam ad eius mores et res gestas depinxisse.

---

[1]) L. l. in Dr. H. Waehdelii de Cleonis apud Aristophanem persona disputatione p. 16.

# Schulnachrichten.

## A. Allgemeine Lehrverfassung.

### a. Sprachen und Wissenschaften.

#### I. Prima (A und B combinirt).

Ordinarius: Der Direktor.

**1. Religionslehre.** a. Für die kath. Schüler. 2 St. w. R.=L. Körner. Glaubenslehre, nach dem Handbuche von Dubelmann. Erklärung des Evangeliums des hl. Johannes. Dritter Zeitraum der Kirchengeschichte. Repetitionen.

b. Für die evangel. Schüler. 2 St. w. Pfarrer Lebermann. Exegese der Briefe Johannis und der Episteln Pauli an die Epheser im Urtext. Die neuere Kirchengeschichte. Abriß der Symbolik. Die Confessio Augustana. Repetitionen.

**2. Deutsche Sprache.** 3 St. w. Der Direktor. Deutsche Litteraturgeschichte der neueren Zeit. Aufsätze. Dispositionen. Deklamationen und Vorträge. Formale Logik.

**3. Polnische Sprache.** 2 St. w. O.=L. v. Jakowicki. Polnische Litteraturgeschichte des XVI und XVII. Jahrhunderts. Vorträge und Aufsätze.

**4. Lateinische Sprache.** 8 St. w. Hor. carm. I. und II. Satiren und Episteln nach Auswahl. 2 St. w. O.=L. v. Jakowicki. Cic. de fin. I. und II, de off. II. Tacit. Germ. und Agric. Privatim, Liv. 31 und 32. Aufsätze, Pensa und Klassenarbeiten. Gramm. Wiederholungen und Sprechübungen. 6 St. w. Prof. Samland.

